



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Canones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
 CHRISTI
 461.

CONCILIVM TVRONICVM I.

PERPETVI EPISCOPI TEMPORE
 celebratum, ^{1c} Seuerino V. C. consule, sub die XIV.
 Kalendas Decembris, anno Christi CCCCLXI. Seueri
 Augusti & Hilari papæ primo.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------|
| I. De sanctitate sacerdotum, & ministrorum ecclesie. | ligionem professam deserunt. |
| II. Quod sacerdotes & diaconi ab vxoribus suis abstinere, atque ebrietatem vitare clerici omnes debeant. | VII. Cum homicidis non communicandum. |
| III. De familiaritate extraneorum seminarum clericis interdicta. | VIII. Si penitentes derelicta penitentia ad saculares illecebras reuertantur. |
| IV. Vt clericus, cui vxorem ducere licet, viduam non accipiat. | IX. De presumptoribus episcopis, qui aliorum diocesim peruadunt, aut illorum clericos promouent. |
| V. De clericis qui ad laicam vitam redeunt. | X. De illicitis ordinationibus. |
| VI. De iis qui virginibus sacratis matrimonio iunguntur, vel re- | XI. De vagantibus clericis. |
| | XII. Clericus sine commendatitijs non ambulet. |
| | XIII. Vt clerici & surarii non sint. |

PRÆFATIO.

SEVERINO viro clarissimo consule, sub die decimaquarta Kalendas Decembris, cum ^d ad sacratissimam festiuitatem, qua domni Martini receptio celebratur, in ciuitate Turonorum beatissimi sacerdotes, quorum subscriptio subter adiecta est, conuenissent, necessario crediderunt, vt quia per longam incuriam in aliquo de rebus ecclesiasticæ disciplinæ regula fuisset vitiata, definitionem suam, quæ cum patrum auctoritate concordat, præsentis scripturæ emissionem firmarent: non quæ prius illicite admissa sunt reuoluentes, sed in posterum vniuersorum utilitati prospicientes: vt secundum euangelica præcepta, & apostolicam doctrinam, patrum statuta seruantes, ecclesia Domini pura & immaculata permaneat.

CANONES.

I.

Primo ergo in loco sacerdotes vel ministri ec-
 Concil. Tom. 9. Ppp ij

Math. 5.

clesiæ, de quibus dictum est, *Vos estis lux mundi*, ANNO
CHRISTI 461.

ita in omni sancta conuersatione a Dei timore a-
ctus suos dirigant, vt & diuinæ possint placere cle-
mentia, & bonum fidelibus præbeant exemplum:
quia sicut vā eis, per quos nomen Dei blasphema-
tur, ita illi immortalitatis gloriam consequentur,
per quorum actus nomen Dei benedicatur. Si e-
nim vniuersis fidelibus secundum apostolicam do-

1. Cor. 7.

ctrinam castitas custodienda indicitur, vt qui ha-
bent vxores, ita sint quasi non habentes; quanto
magis sacerdotes Dei ac leuitæ diuino mancipati
altario, custodire debent, vt non solum cordis, ve-
rum etiam corporis puritatem seruantes, pro ple-
be supplicaturi preces suas ad diuinum introire me-
reantur auditum? quia secundum auctoritatem

Rom. 8.

Apostoli, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt:*
vos autem non estis in carne, sed in spiritu. & iterum:

Tit. 1.

*Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infide-
libus nihil est mundum, sed polluta est eorum & mens
& conscientia.* Cum ergo laico abstinentia impere-
tur, vt possit orationi vacans & Deum deprecans
exaudiri; quanto magis sacerdotibus, vel leuitis,
qui omni momento parati Deo esse debent in om-
ni munditia & puritate, securi, ne aut sacrificium
offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas po-
poscerit, cogantur? Qui si contaminati fuerint
carnali concupiscentia, qua mente excusabunt,
quo pudore vsurpabunt, qua conscientia, quo me-
rito exaudiri se credent?

II.

Et licet a patribus nostris emissa auctoritate id

ANNO
CHRISTI
461.

fuerit constitutum, vt quicumque sacerdos vel leuita filiorum procreationi operam dare fuisset conuictus, a communione dominica abstinere: nos tamen huic distinctioni moderationem adhibentes, & iustam constitutionem molientes, id decreuimus, vt sacerdos vel leuita coniugali concupiscentiæ inhærens, vel a filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantum, vt a communione non efficiantur alieni. Sed vt hæc valeant obseruari, fomitem omnium vitiorum oportet abscidi, Apostolo præcipiente: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ephes. 5. Et quam graui ebrietas supplicio expiatur, idem apostolica manifestat doctrina, inter cetera dicens, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque ebriosos regnum Dei possessuros. 1. Cor. 6. Si quis vero in omni officio clericali Deo militans ab ebrietate se non abstinuerit, secundum status sui ordinem competens in eum vindicta tribuatur.

III.

Et quia nullum diabolo locum dari oportet, hoc præcipue custodiendum decreuimus, vt nullam clerici cum extraneis feminis habeant familiaritatem, ne vllum male loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contingit, vt diabolus, qui insidiatur sicut leo in cubili suo, de ruina seruatorum Dei insultet. Si quis vero clericus, post interdictum episcopi sui, illicitis familiaritatibus ex-

trancarum feminarum voluerit inhære, a communione habeatur alienus.

ANNO
CHRISTI
461.

IV.

Vt clericus, cui nubendi datur licentia, interruptam non accipiat vxorem. quod si fecerit, vltimum in officio clericali teneat locum.

V.

Si quis vero clericus, relicto officii sui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

VI.

Qui vero se sacratis virginibus per coniunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professæ religionis dereliquerint, vtrique a communione habeantur alieni; quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: donec respicientes a laqueo diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, ad auxilium pœnitentiæ reuertantur.

VII.

Homicidis penitus non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimina diluantur.

VIII.

Si quis vero post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta quam professus est pœnitentia, fuerit reuersus, a communione ecclesiæ, vel a conuiuio fidelium extraneus habeatur, quo facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii eius terreantur exemplo.

ANNO
CHRISTI
461.

IX.

De præsumptoribus etiam placuit obseruari, vt si quis episcopus in ius fratris sui suam conatus fuerit inserere potestatem, vt aut dioceses alienas, transgrediendo terminos a patribus constitutos, peruadat, aut clericos ab aliis * ordinatos promouere præsumat, ab vniuersorum fratrum & confacerdotum suorum communione se alienum efficiendum non dubitet, quia Apostolo dicente cognoscimus, 1. Thim. 3. nullam nos cum fratribus inordinate ambulanti- bus, & non secundum traditionem a patribus con- stitutam, posse habere participationem.

*ordina-
tos vel
sancti-
moniales
promo-
uere præ-
sumat,

X.

Ordinationes vero illicitas in irritum deuoca- mus, nisi satisfactione quæ ad pacem pertinent, componantur.

XI.

Si quis vero clericus, absque episcopi sui per- missu, derelicta ecclesia sua, ad alium se transferre voluerit locum, alienus a communione habeatur.

XII.

Et vt clerici non absque sacerdotum suorum commendatione ad alias prouincias, siue ciuitates, ambulare disponant.

XIII.

Illud etiam secundum scripturarum auctorita- tem, vel patrum constitutionem, addendum cre- didimus, vt ne quis clericus, qui negotiandi stu- dium habere voluerit, vsuras accipiat, quia scri- ptum est: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Psal. 14. & alio loco: *In plateis eius vsura & dolus.* Manife- Psal. 54.

stum est enim, beatitudinis non posse consequi gloriam, qui a præceptis diuinis deuiauerit.

ANNO
CHRISTI
461.

Et vt humilitatis nostræ constitutio, adiuuante Domini misericordia, valeat custodiri, sancti ac beatissimi sacerdotis domni Martini, quæ Deo accepta est, obtinebit intercessio. Confidimus enim sacerdotum Domini consensu definitionem nostram firmandam, quæ cum patrum nostrorum auctoritate concordat.

SUBSCRIPTIONES.

- ° Perpetuus Turonicæ ciuitatis episcopus interfui & subscripsi.
 † Victorius episcopus Cenomannicæ ciuitatis huic definitioni interfui & subscripsi.
 ‡ Leo episcopus Bituricæ ciuitatis interfui & subscripsi.
 Eusebius episcopus Namneticæ ciuitatis interfui & subscripsi.
 Amandinus episcopus Catalaunicæ ciuitatis interfui & subscripsi.
 Germanus episcopus Rothomagensis ciuitatis interfui & subscripsi.
 Athenius episcopus Redonicæ ciuitatis interfui & subscripsi.
 Mansuetus episcopus Britannorum interfui & subscripsi.
 Iocundinus presbyter iussu domni mei Venerandi episcopi, quia ipse non cerneret, subscripsi.
 Talasius peccator hanc definitionem dominorum meorum episcoporum, ab ipsis ad me transmissam, in ciuitatula mea relegi, subscripsi, & consensi.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Seuerino viro clarissimo consule.*] Qui cum Dagalaifo consul fuit anno Christi CCCCLXI. Cur huic anno restituendum censuerimus Concilium Turonense, quod alii post Baronium ad alterius Seuerini consulatum reiecerant, qui Trocondum collegam habuit anno CCCXXCII. causas exposuimus in iis quæ præfati sumus ad Concilium Veneticum. De anno igitur constat. de die rem incertam facit veterum librorum varietas. Multi enim XIV. Kalendas Decembris legunt: alii, vt Rhemenfis & Bellouacensis, XVIII.

NOTÆ SEVERINI BINII.

² *Concilium.*] In hoc Concilio disciplina ecclesiastica barbarorum incursionibus in Galliis laxata, tredecim Canonibus est reformata. Causam conueniendi dedisse sacratissimam illam festiuitatem, qua sancti Martini receptio celebratur, acta referunt.

³ *Turonicum.*] Sic dictum ab oppido Galliz, cuius incolæ apud Tacitum & Cæsarem Turones appellantur. Sidonius nominat eam Turonem.

Causa &
acta Con-
cilii.

ANNO
CHRISTI
461.

Turonem, Gregorius Turonicam. Martinopolim a sancto Martino huius vrbs episcopo nominat Matthæus Vindocinensis in sua historia Tobiz.

^c *Seuerino viro clarissimo.*] Anno Domini 482. qui est Simplicii pontificis 15. & Zenonis imperii 9. vt ex emendationibus fastis constat.

Locus Concilii.

^d *Ad sacratissimam festiuitatem receptionis sancti Martini, &c.*] De hac festiuitate Baronius in notis martyrologii, die 11. Nouembris hæc scribit. *Existimamus autem hanc illam esse diem, qua post altercationes Pictauiensium conantium sibi vendicare corpus eiusdem sancti (Martini) a Turonensibus ipsum clam ablatum, atque nauigio impostum, magna omnium alacritate in Turonensem ciuitatem receptum est, vt scribit Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 1. cap. vltimo.* Vnde patet hanc receptionem sancti Martini eandem esse cum translatione; cum videlicet e pristino loco perangusto in ampliorem basilicam eius venerandum corpus receptum fuit. Hoc tempore basilicam ipsam absolutam fuisse, Sidonius, qui de ea carmen scripsit, satis admonet.

Tempus Concilii.

Festam receptionis S. Martini quod.

^e *Perpetuus.*] Perpetuus sextus Turonensis sedis episcopus, is qui basilicam sancto Martino confessori dicatam, multo ampliorem reddidit. De quo Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 18. hæc scribit. *Basilicam sancti pontificis confessorisque Martini Perpetuus episcopus dignissimus tanto predecessore successor, multo priore qua fuit hæcenus, capaciorem nouauit. Magnum est (vt ferunt) opus nominandumque, quod in honorem talis viri factum, talis vir fecisse debuerit.* Huius me parietibus inscribere supra dictus sacerdos hoc epigramma compellit. &c. De ieiuniis & vigiliis sacris ab eo institutis, hæc Gregorius Turon. lib. 10. hist. Franc. cap. 30. *Hic instituit ieiunia vigiliaeque, qualiter per circulum anni obseruarentur: quod hodie quoque apud nos retinetur scriptum.*] Postea subsequitur ordo & temporum & locorum, quibus singula ieiunia & vigiliae haberi volebat. Sedit (teste Gregorio prædictis locis) annis triginta. Huius natalis dies anniuersaria celebratione in toto orbe occidentali recurrit sexto Id. April. Baron. in martyr. & annalibus an. 482. nu. 48. & sequentibus.

Perpetuus quis.

Quid instituit.

^f *Victorius.*] His temporibus Victorium quemdam episcopum Cenomanorum ecclesie præsedisse, non hinc tantum, sed etiam supra ex Concilio Andegauensi constat. Sitne ille idem, qui secundum tabulas Demochar. lib. de sacrificio missæ, sancto Libori eiusdem sedis episcopo, quinto ordine subrogatur, quique annis 24. mensibus 7. & diebus 13. sedisse, ibidem describitur, dubium fit & incertum ex eo quod Beda in martyrologio scribit, hunc sancto Martino notissimum fuisse, adeoque Theodosii imperatoris temporibus claruisse. De Victorio Cenomanorum episcopo agit Gregorius Turonensis lib. de gloria confess. cap. 56. Eius acta manuscripta extare tradit Molanus. Victorium interfuisse Concilio Andegauensi diximus supra in notis eiusdem Concilii sub Leone.

Victorius quis.

^g *Leo, Thalassius.*] De Leone & Thalassio, vide quæ supra notauimus in notis Concilii Andegauensis.

Concil. Tom. 9.